



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

VI. De votis simplicibus vltra professionem emissis, ac primum de voto
non assentiendi relaxationi paupertatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

*Altera ratio
est eadem.*

3.æz auctoritate

tractare, quæ ratio maximè locum habet in professione Societatis, qui & sacerdotes esse debent, & officium assumunt exhortandi, & disponendi homines ad eiusdem sacramenti convenientissimum usum. Vnde etiam subiungit in clericorum ordinationibus sanctam communionem tradi, non solum quia sacramentum hoc est consummatum, & perfectum omnium sacrarum rerum, quia est summa mysteriorum omnium; sed etiam, quia omnes ordines, suo modo, sunt participes singulari ratione huius sacramenti, ut per illud subleuentur, & perficiantur: ob eandem ergo rationem & significationem in fine nostræ professionis nobis diuinum hoc sacramentum traditur. Addimus etiam, per hanc communionem, diuino quodam modo formari, & stabiliri pactum inter Deum ac Societatem, & professum initum. Nam sacerdos dans Eucharistiam, ostendit se acceptare professionem, & in suam communionem spirituales professum recipere: Deus autem, & Christus seipsum principaliter dans, auxilium suum ad fidem ibi datam seruandam tacite promittit, & pignus singularis præmij postea tribuendi, si ab ea non defuerit, tribuit. Professus autem Christum ipsum suscipiens, eum quasi in fidei usorem adducit, & Deo offert de fide, ac promissione a se præstita seruanda.

*XII.
3. solennitas*

Quinto solet sacerdos scriptam professionem accipere de manibus eius, qui professionem emisit; estque bona consuetudo, in signum acceptationis: quamuis necessaria non sit, nec de ea in constitutionibus fiat mentio: quia satis censetur acceptari professio publicè, & cum illa solennitate illam audiendo, & consentiendo, & maximè (ut dicebam) sacram communionem statim impertiendo. Post hæc etiam sequi solet mutua cum amplexu salutatio, cuius etiam meminit Dionysius his verbis, *Cum sanctis aliis, qui astant, viris, ipsum salutatur. Per quam salutationem* (ait idem Dionysius 1. 5. p. 3.) *significatur æqualium spirituum sancta Societas, mutuaque & iucunda lætitia.* Et in 3. p. eiusdem cap. 6. ait, *quod si modo quoque, tam sacerdos, quam circumstantes reliqui viri sancti sic dicatum consalutant, sacram intellige Dei præsentium speciem Societatem, qua sibi inuicem cum lætitia, & charitate gratulantur.* Hoc ergo eodem spiritu hæc consalutatio in nostra Societate fit: hæc obseruata differentia, quod Dionysius innuat illam salutationem fuisse fieri solitam ante communionem, in Societate verò fit post finitam communionem, quia illa censetur veluti consummatio professionis: Alia verò quæ demutatione vestium, & tonsione aliisque caeremonijs ibi Dionysius refert & in aliis religionibus iuxta vniuscuiusque modum sanctè seruatur, in hac professione omittuntur, propter rationem supra in n. 8. innuatam, & quia Societas, ut lib. 1. cap. 5. diximus, quoad habitum, & externam speciem vitam proficetur communem. Additur verò in citato loco constit. postea describendam esse professionem, cum omnibus circumstantiis particularibus eius, tam personarum emittentis, & admittentis illam, quam loci ac temporis in libro ad hoc peculiariter deputato ut de tota semper constare possit ad Dei gloriam: similisque diligentia à sancto Benedicto in citato loco regulæ suæ præscribitur, in modo quidem aliquantulum diuersa, quoad substantiam verò & spiritum eadem, in eundemque finem tendens.

De voto simplici non assentiendi relaxationi paupertatis, quoad eligendi Societatis simul in multis votis simplicibus, post solennem professionem emittunt.

Explicitis iis quæ professionem Societatis antecedunt, & comitantur, restat dicendum de illis quæ consequuntur: supponendum igitur est, in Societate obseruari, ut peracta professione, & emissis quatuor votis solennibus, separatim, & non ita publicè neque in Ecclesia, sed in Sacristia, vel alio simili loco coram eodem superiore, vel alio sacerdote, qui professionem acceptauerat, & aliquibus domesticis, imò & externis nonnullis aliquando alia simplicia vota emittantur, quæ in Constit. præscripta sunt. Quorum mentio etiam fit in constitutione Gregorij, *Ascendente Domino*, ut hic mos, inter alia instituta Societatis, expresse & in particulari confirmaretur, ut reuera confirmatus fuit. Illorum ergo vim & rationem in hoc & sequentibus capitulis explicare necesse est. Posset autem prius in communi queri, an oportuerit noua vincula addere, vltra illa, quæ sunt essentialia professioni. Nā hic etiam locum habet frequens obiectio de reituitate, cum alix religiones simile quid non obseruent. Item quia videtur alienum à spiritu Societatis vincula multiplicare: ideo enim in eisdem constitutionibus 6. p. c. 5. declaratur exceptis quatuor votis, nullas constitutiones, aut ordinationes obligare ad culpam, ut vitentur laquei incurrendi diuinam offensionem: ergo eadem ratione videri potest, non debuisse multiplicari hæc vota, vel certe cum ibi non excipiantur, videri possunt non inducere grauem obligationem: quia exceptio firmat regulam in contrarium.

Nihilominus non oportet de hac re quætionem mouere, quia certum est, & indubitatum, hæc vota inducere grauem obligationem, quia habet materiam satis grauem, ut videbimus, & sunt vera, ac propriissima vota, ut ex facto ipso, & locis citatis euident est: obligatio autem grauis per se loquendo, ac seclusa contraria declaratione, quæ nulla in præsentem interuenit, inseparabilis est ab huiusmodi voto. Quapropter in dict. cap. 5. 6. p. non omnis alia obligatio votorum excluditur, sed constitutionum, declarationum, & ordinationum, & ideo necesse non fuit, illa vota expresse excipere. Quod verò de aliis quatuor facta sit mentio, & non de his, facile responderetur, quia hæc in illis virtute comprehensa sunt tanquam annexum principali. Vnde vno quasi actu moraliter loquendo, emitti solent, hoc est, non multo post ipsa solennia. Parum autem refert, quod hic ritus vouendi nouus sit, si bonus est, & ad finem huius religionis necessarius, aut valde conueniens. Quæ autem fuerit ratio huius necessitatis, & conuenientix, melius in particulari in singulis progressu explicabitur. In genere verò dicere possumus, per hæc vota non multiplicari onera, sed cauere, quædam mala, vel incommoda, quæ iure timeri possent, si hisce votis non præcluderentur; & ideo sine periculo fieri, & obseruari possent: atque ita nihil repugnare cum spiritu, ac intentione Societatis in altera constitutione 6. p. cap. 5. innuata.

Quod verò attinet ad votum non admittendi relaxationem paupertatis, initio dubitandi esse potest, quia materia huius voti, ita indeterminatè sumpta, est incerta, & indifferens: ergo non est conueniens sola materia voti. Antecedens patet, quia in illo voto paupertas intelligitur, quoad redditus, vel possessionem

illam in proprium usum, vel ad sacrificium, vel ad fabricam, vel ad aliquem alium finem, præter id, quod ad Collegia, & domos probationis attinet, admittendum: vt in 6. Constitutionum cap. 2. §. 1. lit. A. declaratur. De hac autem relaxatione magna controuersia est, an expediat: nam multi putant melius esse ad perfectionem cuiuscunque religionis, habere conuenientes, ac moderatos redditus in communi; & quod magis est, Concilium Trid. hoc videtur regulariter iudicasse, cum facultatem concessit omnibus religionibus, (Minoribus & Capucinis exceptis) admittendi huiusmodi redditus. Et quamuis nunc generaliter hoc non concedatur, tamen non videtur dubium, quin discursu temporis, possit res ad eum statum deuenire, in quo ad maius commune bonum, vel religionis, vel Ecclesiæ expediat hunc modum viuendi, in domibus professis Societatis mutare, maxime in aliquibus locis, in quibus religio, aut fides plurimum labefacta sit: non ergo fuit cōueniens Societatem professam, nouo obligari voto ad huiusmodi mutationem non admittendam.

IV. Tria breuiter circa votum hoc sunt explicanda scilicet finis, materia, & obligatio huius voti, ex quibus facile patebit responsio ad rationem dubitandi positam. Ad finem huius voti explicandum duo proponit fundamenta B. P. N. Ignatius in dicto c. 2. 6. partis constit. Primum est, paupertatem esse murum firmum religionis, & ideo in sua puritate esse seruandam; quantum diuina gratia inspirante, fieri poterit. In 10. autem p. §. 5. *propugnaculum religionum*, eam appellat, quas in statu suo, & disciplina conseruat & a compluribus hostibus defendit. Quæ doctrina consentanea est illi, quam tradit D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. paupertatem esse primum fundamentum perfectionis acquirendæ. Quod etiam asseruit S. Bonauent. in Breuiloquio p. 5. cap. 6. dicens, ad integritatem perfectionis primo requiri recessum à malo superbiæ, quod fit per paupertatem spiritus; & idem significat opusculo de reformatione mentis p. 2. c. 16. 17. & 18. & latè in Apologia pro Evangelica paupertate; cuius rei rationes, & causas latè in tomo superiore tractauimus disputando de variis votis paupertatis.

V. Secundum fundamentum est, humanæ naturæ hostem ad hoc propugnaculum, ac refugium debilitandum maxime eniti solere atque ea, quæ à primis fundatoribus bene ordinata fuerant immutare. Quod & experientia ipsa satis notum est, & ex priori fundamento sequitur: nam cum demon nitatur totam destruere religionem, maxime procurare eius fundamentum conuellere & murum, ac propugnaculum eius euertere, quia illo sublato facile poterit tota religio expugnari. Vnde prudenter adnotauit Nauarrus licet votum paupertatis inter tria substantialia religionis infimum sit, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 8. & ex obiecto eius facile constet: & quamuis etiam sit obseruatu facilius, quia facilius est nostra, quam nos ipsos quoad corpus vel animam relinquere, vt dixit Greg. hom. 33. in Euangelia: nihilominus violationem paupertatis maiora nocumenta religionibus attulisse, vel quia frequentior est propter maiorem ex parte demonis impugnationem, eo quod eius malitia, aut minor apparet, aut magis latet, faciliusque proinde dissimulatur, ac permittitur ex parte prælatorum (cum tamen pro castitate maxime pugnet probum, ac pudor; pro obedientia, superior cuius interest vt pareatur) vel etiam quia est maxime accommodata commoditatibus corporis, nam pecunia generale instrumentum est ad omnes illas; vel denique, quia rerum proprietates maxime contra est ordini religioso, qui hinc laditur penitus, & mutatur, vt dixit Alexander III. in Concilio Lateran. p. 49. cap. 15.

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

Ex his ergo duobus fundamentis concludit S. Ignatius finem huius voti esse, vt quod in nobis scitum fuerit, hac in parte Societati prospiciamus; quod aliis verbis dictum est à Gregorio XIII. in constitut. *Acedente Domino, ad paupertatis quæ regularis instituti murus est, & propugnaculum ad perfectionem tuendam.* Vt enim sustentetur ædificium, & vrbs defendi possit, nihil magis curandum est, quam vt fundamentum firmum maneat, & murus integer, ac illæsus. Et ideo Alexander III. in dict. cap. 15. Cistercienses religiosos vehementer exhortatur, vt domus illa (ait) quæ à prima sua origine in ordine vestro sunt fundata, constituta, & ordinatis terminis sine contentione, loquitur autem de terminis paupertatis. Et eandem sollicitudinem adhibuerunt reliqui Pontifices grauissimas penas imponentes violatoribus paupertatis religiosæ, vt in Superiori tomo vidimus. Et gloriose Patres Dominicus, & Franciscus specialem maledictionem suis religiosis transgredientibus paupertatem à se institutam, reliquerunt, vt Bonauent. in Opuscul. de Christi paupertate, de S. Dominico refert, & de S. Francisco legitur in speculo Minorum.

VI. Vt autem ad secundam partem (id est, materiam huius voti) explicandam accedamus, distinguenda est duplex mutatio paupertatis religiosæ, vna quoad factum tantum, alia etiam quoad ius. Prior habet de se intrinsecam malitiam; nam consistit in transgressione substantialis voti paupertatis religiosæ: posterior verò, per se spectata, non est intrinsecè mala, aut prohibita, quia non fit per violationem iuris, sed per mutationem illius, factam ab eo, qui potestatem habet, vt supponimus. Alij ergo fundatores vel protectores religionum adiunctis penis, aut maledictionibus præcauerant, ne fieret mutatio à religiosis circa paupertatem, quoad factum, id est, quoad custodiam, vel transgressionem paupertatis promissæ: non verò remedium aliquod prouiderunt, ne institutio ipsa talis, vel talis paupertatis mutaretur: & ita videmus plures religiones, fortè sine culpa, quamuis non sine aliqua primi feruoris remissione, rigorem primæ institutionis suæ, quoad obseruantiam paupertatis, per indulta Apostolica temperasse; cui certè indulto, etiam sponte oblato, virginem Claram renunciaisse legitur. Beatus autem Ignatius ad obseruationem paupertatis promissæ duratè eius obligatione, nullam penam, vel maledictionem adiungendam cõsult, præter eas, quæ in iure communi continentur, & alia media, quæ ad generalem regularum, & constitutionum obseruationem prouidit: vt lib. 4. c. 7. vidimus: præcauere autem studuit, ne in iure ipso paupertatis, quod pro Societate statuebat, relaxatio fieret, quod facere non potuit, per comminationem, aut maledictionem, quia talis mutatio (vt dixi) non erat per se mala, & ideo id fecit adiungendo nouam obligationem per hoc votum, cuius materia est, nec procurare, nec consentire, vt relaxatio paupertatis in Societate fiat, etiam eo modo, quo alias sine culpa fieri posset.

VIII. Est simile de voto, quod interdum fieri solet, de non petenda dispensatione circa obseruationem promissæ castitatis: nam mutatio in voto iam facto media dispensatione, non est per se mala; tamen per se loquendo, melius est in voto facto perseverare, & non facile dispensationem petere, & ideo votum illud non petendi dispensationem, & per se bonum est, & distinctam habet materiam ab ipso voto castitatis. Aliud est enim non ducere uxorem; aliud non petere dispensationem, ad ducendam illam. Et fieri potest, vt aliquis violet hoc posterius votum, petendo dispensationem, & non violet votum castitatis: maxime si illa non vtatur. Imò fieri etiam potest, vt neque vtendo illa, agat contra

Aaa 3

votum

VI.
Concluditur
i. punctum
sui finis dicti
voti.

VII.
i. punctum
id est materia
voti eiusdem
voti.

Quid alij
fundat res
propter
tunc prouidit
dixit.
Quid B.
Ignatius.

VIII.
Explicitatur
hac Ignatius
promissam
exemplo.

vorum castitatis; quia licet dispensatio male fuerit petita, concessa tamen valida fuit, & ita abtulit votum castitatis. Et è contrario, posset quis violare votum castitatis, & non aliud votum, non petendi dispensationem; ut si abfque dispensatione duceret uxorem. Ita ergo in presenti, votum hoc, & bonum est & distinctum à voto paupertatis, quia distincta habet materiam. Aliud est enim non habere proprium, nec redditus vel capellanas, & cetera, quae sunt materia voti paupertatis in Societate: aliud verò non admittere relaxationem in hoc instituto paupertatis, quod est optima materia huius voti: tum quia perseverantia in primo spiritu religionis per se melior est, tum etiam, quia relaxatio paupertatis, solet esse occasio cadendi simul à tota obedientia rigorosa religionis, ut docuit S. Bonavent. tomo 1. Opusc. in epist. de Reformandis fratribus, & Dionysius Carthus. in Opusc. de Reformatione claustr. art. 17. Distinctio autem inter hæc vota, & eorum materias, eodem signo percipi potest: nam si professus Societatis habeat proprium, & c. peccauit contra votum solenne paupertatis, non tamen propterea violabit hoc votum, quamdiu non assenserit, ut simile quid per modum iuris, seu dispensationis in Societatem introducatur, & è conuerso si præbeat hunc assensum, violabit hoc votum, quamuis nihil contra paupertatem peccet. Vnde etiam obiter intelligitur ratio ob quam soli professi hoc votum emittant: quia nimirum ad illos pertinet præcipue Societatis gubernatio, & illi soli habent suffragium in Congregatione generali, in quo sola posset huiusmodi alteratio fieri: & ideo professos obligando, satis fecit in hac parte Societati prouisum.

Cur professi
hoc votum
nuncupent.

IX.

3. punctum
id est obligatio
huius
voti exponitur.

Est obligatio
pure negatiua
nihil facien-
di contra
paupertatem.

Obiectio di-
lucetur.

Atque ex his facile erit tertium, quod proposuimus explicare: qualis scilicet obligatio ex hoc voto nascatur: omne enim votum obligat ad executionem suae materiae: materia autem huius voti est, non admittere relaxationem circa paupertatem in Societate institutam: ergo ad hanc observationem obligat. Vt autem hæc obligatio exactius declaratur, & dubitationes, quæ insurgere possunt, expediantur: ponderanda sunt verba, quibus materia huius voti in Constitutionibus proponitur. Nam in 6. p. cap. 2. §. 1. sic dicitur, *Promittant se ad inuolutionem constitutionum, in his, quæ ad paupertatem pertinent: nihil facturos, nisi magis restringendam iudicarent.* Vbi primum expendo hoc votum pure negatiuum esse, quia non obligat ad aliquid agendum, sed tantum ad non agendum, ut planè constat ex illis verbis, *Nihil facturos.* Non ergo peccabit contra hoc votum professus, qui viderit alios procurare huiusmodi relaxationem, & non restiterit, aut dissuaserit, quamuis possit: quamuis enim in illa omissione possit peccare contra charitatem suæ religioni debitam; quomodo etiam posset in simili casu peccare non professus, qui hoc votum non emisit; non tamen transgreditur hoc votum, quia per illud non obligatur ad impediendum, vel resistendum, sed tantum ad non agendum. Quod si quis obiciat: quia non resistens cooperari censetur in moralibus, argumento cap. quante, de sentent. excommun. ibi, *eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cum possint, manifeste facinorosi desinunt obuiare.* Respondetur in primis, id procedere in casibus in iure expressis, & ita declaratis, qualis est, in illo textu. Deinde quoad culpam apud Deum, solum habere hoc locum iuxta mensuram obligationis, quam aliquis habet ad impediendum, vel resistendum. In presenti autem hæc promissio, vel obligatio eius, qui non extenditur ad huiusmodi actionem, & ideo, qui illam omittit, non censetur moraliter cooperari.

X.

Quid autem sub illa negatione, *nihil facturos comprehendatur*, in declaratione sic exponitur, quod

nunquam assentietur ad immutandum, quod ad paupertatem in constitutionibus pertinet: nec in consensu totius Societatis congregatae, nec per seipsum vlla ratione id curando. Ex quibus verbis colligo duas actiones in genere prohiberi, ex vi huius voti: prima, ac præcipua est, si contingat in Congregatione generali de hoc puncto tractari, nunquam ferre suffragium, ut paupertas relaxetur, quod suffragium decessum est, & ideo circa illud maxime urget obligatio: nam si ibi obseruetur, quidquid antea præcesserit, non multum nocet Societati, quia nulla poterit fieri mutatio, regulariter loquendo. Propter periculum autem, quod imminere posset, additur, seu prohibetur secunda actio, quæ est, quacunque ratione procurare, ut talis relaxatio fiat, vel à Societate admittatur: & in in Bulla *Ascendente Domino*, additur, *se nunquam quaerere acturos, vel consensuros*: quod tamen intelligo de consensu cooperatio, & dante auctoritate, vel efficacia aliquam huiusmodi mutationi: nam verba illa ex constitutionibus sumpta sunt, & iuxta illas sunt interpretanda; itaque per illam negationem prohibetur omne consilium, seu suffragium, etiam consultium de tali relaxatione faciendi, & à fortiori omnis positivus fauor, aut procuratio, non autem sola permissio.

Statim verò oritur dubitatio, an sit contra hoc votum, iudicare in aliquo euentu esse expediens talem relaxationem facere. Nam si licet interius ita sentire, licebit & verbis id proferre, & actionibus procurare: nam per se bonum est, & melius id velle, & desiderare, quod religioni magis expediens iudicatur, nec votum potest hoc impedire, quia impediret maius bonum. Quod autem illud iudicium possit esse licitum probatur, quia potest esse verum, nam ut in num. 3. obiciebamus, tanta esse posset mutatio in rebus humanis, ut omnino expediat ad maius bonum religionis habere redditus in comuni, vel aliquid simile. Respondetur posito illo casu, cessare huius voti obligationem, exemplum est in voto de non petenda dispensatione, posito enim, quod validum sit: ut lib. 2. de materia voti cap. 11. n. 6. attigimus, & si alij, quos sequitur Sancius lib. 4. de voto cap. 8. à num. 20. non admittant, planè non obstante absoluta eius forma si casus occurrat, in quo pensatis omnibus prudenter iudicetur melius, & gratus Deo esse petere dispensationem, cessare obligatio illius voti, iuxta communem sententiam Doctorum Richard. in 4. d. 38. art. 9. q. 3. supplem. Gab. ibi q. 1. art. ult. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 9. ad fin. Sorb. lib. 8. de iustit. q. 9. versus finem, Syluest. votum 2. q. 14. Angel. votum. 3. n. 20. ita ergo in presenti. Ratio autem generalis est, quia votum tantum esse potest de meliori bono, ut in citato lib. de voto c. 7. dictum est, & ideo non potest esse impedimentum maioris boni: ergo etiam in presenti, non obligat votum quando eius materia ita mutata est, ut seruari non possit, sine impedimento maioris boni. Neque oportuit hoc in ipso voto explicari, quia hæc conditio generalis est omni voto, ut scilicet eius obligatio cesset, eo ipso quod materia eius, vel inutilis facta est, vel maius bonum impediens. Vt autem hoc sine scrupulo fiat oportet, ut sit evidens, & certa mutatio illa facta ex parte materiae: nam in dubio melior est conditio ipsius voti, cum de absoluta promissione certò constat.

Non videtur tamen fore contra tale votum, in casu talis dubij, rem ipsam agitare: ac discutere, & rationes dubitandi, in utramque partem proponere, & quid verisimilius, aut probabilius appareat, proferre: nam supposita prædicta dubitatione, hæc omnia non solum per se honesta sunt, sed etiam necessaria ad commune bonum, ut in simili dubio videtur periculum alicuius maioris incommodi rectius religionis. Vnde etiam addo in simili euentu, quod rei

Fei veritas, & necessitas non possit certo, & euidēter cognosci, non fore contra votum totam dubitationē, & rationes eius Summo Pontifici proponere, vt ipse statuat, quod toti religioni melius esse iudicauerit: quod etiam securus hēt, si prius ab ipso facultas petatur, vt non obstante tali voto possit vnusquisque quod sentit, vel opinatur, libere proponere.

XIII. Occurrit verò statim dubitatio illa, scilicet, an obliget hoc votum nō solum ad non petendam etiam relaxationem, sed etiam ad nō admittendam illam motu proprio à Pontifice concessam. Duplīter autem potest hoc à Summo Pontifice concedi, scilicet præcipiendo, vel indulgendo. De priori modo nulla est quæstio, quia obediendum omnino est præcipienti Pontifici. Dices, Pontifex vt Pontifex non habet ius præcipiendi in his materiis, quæ pertinent ad consiliū, vt est autem supremus prælatus religionum, nihil potest præcipere contra regulam, maxime, quæ voto firmata est: ergo in eo casu non tenebimur obedire tali præcepto. Respōdetur materiam illam esse capacem præcepti Pontificis, vt Pontifex est; si supponamus hic & nunc prudenter iudicari talem paupertatem esse nociuam, vel impeditiuam maioris boni talis religionis, in ordine ad finem sibi præstitutum; nā licet profiteri, aut non profiteri paupertatem, absolute loquendo, nō sit materia præcepti, sed consilij, supposita tamen professione religionis seruare in eo statu hunc, vel illum modum paupertatis potest esse materia præcepti Pontificis, quia potest esse medium moraliter necessarium ad commune bonum talis status à Pontifice in Ecclesia Catholica approbati, sicut posset Pontifex à principio approbare talem religionem cum hoc modo paupertatis, & non cum strictiori, vel laxiori, & à fortiori posset prohibere, ne quis talem statum profiteretur, nisi sub tali paupertate, vt per se constat. Ita ergo postquam semel approbauit religionem cū vno genere paupertatis, potest mutatis temporibus, illam approbationem reuocare, vel mutare, prout expedire censuerit, & consequenter prohibere, ne deinceps quis talem statum profiteatur nisi sub tali paupertate. Tenebitur ergo religio parere huiusmodi præcepto, quod iustum præsumitur, quamdiu oppositum euident non est, maneatque à Summo Pontifice quatenus talis est, quia ad illum sub hac ratione spectat religionū instituta approbare, vel mutare, continetque in virtute illud præceptum, vel dispensationem voti, vel declarationem quod cum talibus circumstantiis nō obliget. Imò supposita hac declaratione, vel manifesto fundamento eius, posset Summus Pontifex, etiam vt supremus prælatus religionum illam mutationē facere, & sub obedientia virtute præcipere, quia nō esset contra votum, nec propriè contra regulam, sed esset rationalis mutatio regulæ, ad meliorem totius regulæ obseruationem ordinata.

Quid si attendatur ut est prælatus religionum.

XIV. Dicunt etiam aliqui, posse Pontificem, vt supremum religionis prælatum, irritare hoc votum suo arbitrio, & consequenter præcipere relaxationem paupertatis, admittendo dominū, v.g. in domibus Societatis. Sed mihi valde probabile est non posse Pontificem hoc votum irritare, quia est votū quodammodo de substantia talis status, vel certè per se annexum illi: vota autem huiusmodi non possunt irritari à Prælati religionū. Item quia in potestate irritandi, quoad materiā, vel obiectum, nō videtur excedere, per se loquendo, Summus Pontifex Præpositum Generalem cuiusunque religionis respectu suorum subditorum, quia ex eadem traditione, & ex eodem voto obedientia, nascitur illa potestas: certum est autem non posse Præpositum Generalem irritare hoc votum: ergo nec Pontifex. Item quia alias posset pro sua voluntate, sine alia iusta causā, hoc

votum tollere, quod incredibile est, quia est contra intentionem vouentium, & totius religionis, quæ nunquam voluit, quoad hanc partem, tribuere alteri potestatem dominatiuam. Sicut etiam non est verum simile posse Pontificem irritare suo arbitrio, & sine causā votum abstinendi à carnibus, & lacticiis, quod religiosi minimi emittunt. Adde insuper etiam ablato hoc voto, non posse absque legitima causā præcipi Societati professæ, vt admitrat dominium, quia illud est contra votum solenne paupertatis, cuius obligatio auferri non potest, sine causā legitima: necesse est ergo, vt virtualis dispensatio, vel interpretatio intercedat, quæ non potest esse sine causā iusta, vel cogente. Vnde quia talis causā rara est, & difficilis ad æstimandum, ideo Pontifex raro, vel nunquam talia præcepta religionibus imponit.

Alio ergo modo potest hoc Pontifex concedere indulgendo sicut Concilium Trid. sess. 25. cap. 3. de Regularibus, concessit ferè omnibus religionibus, vt possent habere bona immobilia etiam quibus antea non erat permittum. In eo autem casu dubitari potest, an si Pontifex nunc similem concessione faciat Societati professæ, possent licitè professi illam acceptare sine transgressione huius voti. videntur enim nō posse, quia promittunt se nunquā, quacunque ratione acturos, aut consensuros in huiusmodi relaxatione: ergo cū tunc non cogantur acceptare: nec licitè consentire possunt. Sicut qui vult non petere, neque accipere dispensationem voti, non potest licitè illam acceptare, etiam si Pontifex illam concedat.

Nihilominus probabilius censeo: hoc votum nō obligare professos Societatis ad non acceptandam illam Pontificis concessione. Quod in simili casu videntur sensisse Patres secundæ congregationis generalis, quando cesserunt illi concessione Concilij Trid. nam id fecisse videntur, non ex necessitate, & obligatione prioris voti, sed quasi denuo illud confirmantes, vt significant illa verba canone 21. Congregatio totius Societatis nomine, cessit cuiusque iuri promittenti ex concessione Concilij Trid. Habebat ergo ius non cedendi, si vellet. Et infra, vt iuxta nostras constitutiones, & vota, quæ post professionem emittuntur, in professis, ac ipsorum domibus paupertatem retinere, quæ verba indicant quali nouam voti confirmationem spontaneam, ac merè voluntariā: & ideo in actis eiusdem Congregationis, præpositi refertur, an placeret decreto Concilij renuntiare: & ab omnibus responsum esse, Placet. quæ verba indicant non obligationem huius voti, sed ex amore perfectionis id fecisse. Præterea supra ostensum est, verba illa, nunquam acturos, vel consensuros, iuxta mentem constitutionum interpretanda esse: in constitutionibus autem solum ponitur pro materiā huius voti, non procurare villo modo, neque esse causam huius mutationis: ergo acceptare illam, si à Pontifice fiat, non est contra hoc votum. Neque est contra verbum illud non consensuros, nam ibi est sermo de consensu cooperatiuo in actionem, seu negotiationem huius voti contrariam, cuiusmodi esset suffragium in Congregatione, acceptatio verò hæc, neque est consensus cooperatiuus, sed receptiuus, vt sic dicam: neque etiam est in actionem voto contrariam: sed in eam tantum, quam summus Pontifex auctoritate sua efficere potest. Tandem id ostenditur retorquendo exemplū adductum: nam si quis voueat præcise, non petere dispensationem, aut non procurare licentiam ad aliquid faciendum; & superior suo nutu offerat dispensationem, vel licentiam, non est contra votū illam acceptare, quia minus est acceptare, quàm petere, & obligatio voti non est extendenda ultra rigorem verborum, nisi aliud certò constet de intentione vouentis. Ita ergo est in præsentī.

XV.

1. sensus est: in eadem quæstione.

Arguitur in partem neg.

XVI.

Partis affirmantis prædictæ à simili.

Probatur 2. deluendo argumentum: sum. præc. danti.

Probatur 3. retorquendo exemplum partem negantem.

XVII.
Instantia
contra pro-
positum dicta
occurritur.

Dices ergo si Societas professæ nunc velit uti cõ-
cessionem factâ à Concilio Tridentino, posset id fa-
cere, sine læsione huius voti. Respondetur negando
sequelam, quia res non est integra, neque in eodem
statu, postquam enim Societas celsis illi privilegio,
virtute confirmavit votum solenne eiusdem pau-
pertatis, non obstante illo; & in eodem sensu pro-
fessi sunt eandem paupertatem successores omnes,
& consequenter per hoc votum promittunt pau-
pertatem illam, quam sic professi sunt, illam cõ-
servare, nihil ex parte sua innouando, quod ad re-
laxationem pertineat; reuocare autem cessionem
factam, præsertim postea à sede Apostolica cum re-
liquo instituto toties confirmatam, esset magna
relaxatio; & ideo sine dubio esset contra hoc vo-
tum. Secus autem erit si vel summus Pontifex,
vel aliud Concilium generale in futuro tempore
denuo similem facultatem faciant, nam tunc ha-
bebit Societas eandem libertatem renuntiandi,
vel acceptandi illam, quam habuit secunda Con-
gregatio generalis, circa decretum Concilij Tri-
dentini.

XVIII.
Quæstio.
3. quorum
bonorum
paupertas
non rela-
xanda.

Posset præterea circa hoc votum dubitari, an ob-
liget solum circa paupertatem professorum, & do-
morum professorum, vel etiam circa alia, quæ per-
tinent ad paupertatem scholarium, Collegiorum,
& domorum probationis, & ratio dubitandi sumit-
ur ex verbis illis declarationis cap. 2. 6. p. Innouare
quod ad paupertatem atinet, est relaxari ad redditus, vel
possessionem vllam in proprium vsum, &c. Constat autem
hæc solum pertinere ad domos professoras. Imò hinc
oritur dubium, an hoc votum solum obliget ad nō
procurandam relaxationem quoad hæc bona im-
mobilia, non verò circa omnia alia, quæ in paupe-
ratis vfu Societas obseruat, vt lib. 4. à cap. 7. vidi-
mus. Respondeo breuiter obligationem huius vo-
ti, extendi ad totam materiam paupertatis, prout
cadit sub votum in Societate factum, in quocun-
que gradu seu statu illius factum sit. Hoc satis expli-
catum est in dicta constitutione Gregorij XIII. illis
generalibus verbis, Nunquam acturos, vt quæ in consti-
tutionibus Societatis circa paupertatem ordinata sunt,
immutentur. in Constitutionibus autem; tam sunt
ordinata, quæ pertinent ad Collegia, & domos pro-
bationis, quàm cætera. Et ratio reddi potest, quia
professi non tantum hoc promittunt propter sei-
plos, vel domos suas, sed pro tota Societate, cuius
cura, & præcipua gubernatio illis incumbit. Vnde
quod in prædicta declaratione dicitur, ideo est,
quia illa est præcipua, & magis propria materia vo-
ti paupertatis in Societate. In 10. autem p. constit.
§. 5. additur, non accipere stipendia pro nostris ministeriis,
& non applicare redditus Collegiorum ad utilitatem do-
morum: quatenus ergo hæc vel alia pertinent ad

dictum vo-
tum simplex
est.

C A P V T VII.

De voto non ambiendi dignitates, quod professi So-
cietatis emittunt.

I.
Vera suppo-
sitis.

Forma, sub qua hoc votum à professis Societatis
emittitur, ita habet: Præterea promitto nunquam me
acturum, vel præsenturum, ne indirecte quidem, vt in ali-
quam prælationem, vel dignitatem in Societate eligar, vel
promouear. Promitto præterea nunquam me curaturum,
præsenturumve, extra Societatem, prælationem aliquam,
vel dignitatem, præscripta est hæc forma in 1. & 3. Cõ-
gregatione generali, & sumpta est ex 10. cap. const.

§. 6. & eisdem ferè verbis probatur in constitutio-
ne; Ascendente Domino, sæpe citata: Neque præsenturum
(dicitur ibi) ne indirecte quidem, vt in aliquam præla-
tionem, vel dignitatem intra vel extra Societatem eligatur.
De hoc igitur voto nulla est controuersia, quin li-
citum, & sanctum sit, vt expresse docuit D. Thom.
2. 2. q. 185. art. 2. ad 3. & ib. Caiet. & Soto lib. 10. de
Iustitia q. 2. art. 2. ad 3. Antonin. 3. p. tit. 20. c. 2. §. 6.
& ratio est: quia tale votum euidenter est de melio-
ri bono.

Vt autem hoc explicetur, aduertendum est, quæ-
sitionem esse inter Theologos, an appetere Episco-
patum, vel procurare illum (& idem est cum pro-
porione de qualibet alia prælatione) illicitum sit,
quam citati Doctores ibidem tractant, & plures re-
fert Henric. in sua summa lib. 10. cap. 32. n. 3. in com-
mento; sentientque id esse illicitum, ac pertinere
ad ambitionem, vel præsumptionem; quod etiam
docent Card. in Clem. in plerisque de elect. q. 7. Abb.
in cap. non est de voto num. 9. idemque in huiusmodi
Augustinus 19. de Civitate, cap. 19. dicens, In his s. p-
rior sine quo populus regi non potest, & si administratur, vt
debet, tamen indecenter appetitur. & Chrysostomus lib.
3. de sacerdotio parum à principio, cum multa cõ-
memorasset Episcopo necessaria, subdit, inter quæ il-
lud præcipuum, sacerdotum animam honoris illius desideria
vndeque vacare. & infra sibi obiciens illud Pauli; Si
quis Episcopatum desiderat, &c. respondet, At ego nepe-
rius ipsius, sed dominationis ac potentie desiderium pñ-
tens esse dixi. Quod eleganter profequitur ambitionis
pericula exaggerans. Idem verò hom. 3. in Acta, cū
ita ipsiusmet Episcopatus periculum extulisset, vt
paucos ex eis saluaret, & alia similia dixisset, subdit,
Hæc loquor nō vt vobis pudorem incutiam, sed vt vestram
cōhibeam cupiditatem: quem enim consensum adhibere pro-
curaris vel per te ipsum, vel per alium? quid tu o. n. i. i. i. i. i.
illum, qui tibi fuit auxilio? quid habebis quod exaspetes &
hom. 66. in Math. tractans illa Christi verba, Prin-
cipis Gentium dominantur eorum, Marc. 10. ait, illis o-
stendisse Christum, gentium mores esse prima que-
que appetere. Tyrannica (inquit) hæc passio est, & non
nunquam eximios etiam viros perturbat: quapropter cum
vehementiore castigatione indigent, acius etiam in se in-
gerit comparatione gentium tum: nem. ipsorum animam re-
tinent: nam qui primatum querunt sibi ipsi dederunt, i-
gnorantes hoc se pacto in infamia detradere. Similia habe-
tur in imperfecto hom. 35. inter alia, Quicunque desi-
derat primatum in terra, inueniet confusionem in caeli, vt
iam inter seruos Christi non sit de primatu certamen. Et in-
frà, Voleu. Dominus duorum fratrum ambitionem exin-
guere, & decem discipulorum inuidiam, introduxit diffiden-
tiam inter Principes mundiales, & ecclesiasticos, ostendens
quia primatus in Christo, neque ab aliquo appetendus est non
habente, neque aliter inuidendus est non habenti. Hæc autē
& similia dicuntur à sanctis Patribus de appetitu prælationis
prælationis, quatenus in ea honor, excellentia, & decore
superior potestas spectatur, & concupiscitur: nam
hoc modo talis appetitus, & omnis præteritio, quæ
ex illo procedit, malitiam habet ambitionis, & va-
næ præsumptionis.

Si ergo votum sumatur, quatenus coeret hoc
viciu & inordinatum appetitum, manifestum est, & d. 1. q. 1.
esse optimum, & religioni valde expediens. Primitū
pater, quia abstinere ab huiusmodi vicio, optimū
est: ergo promissio de cauendo hoc vicio, etiam est
optima. Nec refert quod per se, & ex diuino, ac na-
turali iure teneamur viciu hoc fugere, tum
quia ea etiam, quæ per se bona, & necessaria sunt,
laudabiliter Deo vouentur; vt tract. 6. est ostē-
sum in lib. 2. de voto cap. 3. tum etiam vt augeatur
obligatio; quia fortasse in huiusmodi negotio
inordinatio tantum esset venialis culpa, quæ in-
terueniente voto, erit mortalis: tum denique quia
ad aliquod amplius obligat hoc votum, quā ad
vitam.